



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola LXXI. Ioannis Papae VIII. Ad Cvnipertvm Comitem. Praecipit vt  
bona Romanae ecclesiae, quae occupauerat, restituat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

## 90 IOANNIS PAPÆ VIII.

uenit, cui non licuit habere quem voluit. His ita statutis, ne in ecclesia Dei tibi commissa scandalum maneat vel schisma existat, dilectioni tuæ iubemus, ut cum eodem a te consecrato episcopo, & illo qui se canonice afferit fuisse electum, de praesenti Romam venire procures, quatenus in praesentia nostra & sedis apostolicae tanti causa negotii diligenter inquisita & examinata legitimum Deo fauente finem percipiat. Obedire igitur te oportet huic nostræ præceptioni pro ecclesiæ Dei pace directæ. Nam si aliter feceris, scito quia nos talem illicitam præsumptionem impunitam nullatenus relinquemus. Data ut supra.

## EPISTOLA LXXI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CVNIPERTVM COMITEM.

Præcipit ut bona Romanæ ecclesiæ, quæ occupauerat, restituat.

*Dilecto filio Cuniperto glorioſo comiti.*

**A**VDTV didicimus, etiam & veraciter scimus, quod cortem sancti Petri, quæ est in Aluiscutia, contra Deum & nostram voluntatem teneatis inuasam, & vnde censum ac functionem annuam ecclesia principis apostolorum pro luminariis habere solita erat; nunc vestra fortia, & auaritia faciente, nil recipere, nilque potest habere. Vnde ex auctoritate Dei, & sancti Petri, ac nostra, vobis præcipimus, ut non habeatis licentiam ipsam cortem amplius retinere: nec in eius rebus & pertinentiis vos introrūtatis, si gratiam Dei & beatorum apostolorum Petri & Pauli, nostramque benedictionem cupitis habere; Sinatisque homines sancti Petri, qui ibi sunt, eamdem cortem securiter retinere. Nam si ipsam cortem deinceps tenere contra nostram voluntatem præsumperitis, aliquamque ibi fortiam, vel violentiam feceritis; scitote quod omni vos ecclesiastica communione, atque a corpore & sanguine Domini nostri canonice separabimus, sicut inuasorem rerum ecclesiasticarum. Data ut supra.